

DE INTERROGATIONE E VITAE COMMVNIS VSV INTER-
ROGANDI VIM AMITTENTE

D I S S E R I T

ET

ORATIONEM HOFMANNIANAM

IN SCHOLA ANNAEMONTANA

D. XXV. IAN. c1515CCLXXXVIII.

H O R A I X. A N T E M E R I D I A N A

H A B E N D A M

H V M A N I S S I M E I N D I C I T

M. DAVID CHRISTIANVS GRIMM

RECTOR



Lit. Lat.
rec. B.
63,28.

ANNABERGAE
EX OFFICINA FRISIANA

VII 37.



Interrogationes proprie sciscitandi causa adhibentur. Sed sunt etiam, quae solum dicentis affectum exprimant, grauitatem orationi conciliantes, de quibus in rhetoricis inter figuras agi solet. Qui enim interrogant, incitatus plerumque dicere putantur. Sed et tertium quoddam genus interrogationum non praetereundum est, idque earum, quibus neutra neque sciscitandi, neque grauitatis vis vlla inesse videtur. His neuiquam intelligi volo eas, quibus immodice nonnulli ac intempestiue vtuntur, cum vniuerse, tum maxime cum docent, praesertim res tenues. Quo genere delectari tirones vt plurimum videmus in elaboratiunculis, quas proprio Marte instituunt: quibus id quidem condonandum videtur, cum et quid, et quomodo quidque dicendum sit? plerumque nesciant. Enim vero sunt veterani quoque oratores non pauci, qui iusto crebrius interrogationes adhibent, idque adeo in ipsis statim orationum initiis, quo nihil frigidius, nihil absurdius esse potest. Orsus quidem est Cicero Catilinariam suam: *Quousque tandem etc.* quam in eo quoque, quod nimis arderet, a quibusdam reprehensus est. Sed habuit tamen, quod arderet, modo ne nimis: et quid ageretur, iam tum senatorum, qui aderant, plerique cognitum habebant. Contra in nostrorum plerisque orationibus nesciunt initio auditores, de quam re orator sit verba facturus, idque primum docendi sunt. Quare non iam moueri in vtramque partem, non iam impelli interrogationum stimulis possunt, quod sane abhorret. Legant, quibus opus est, Ernesti ista de interrogatione, *Init. rhetor. §. 359. Etsi autem nulla figura aequae frequenter vti liceat, tamen cauendum est, ne immodice vtamur; cum vniuerse, tum, cum docemus, praesertim res tenues. In quo peccant nouitii Oratores vernaculi, qui ita complent orationes interrogationibus, vt obtundant enecentque auditores, non excitent, frigidamque reddant orationem, non viuendam et incitatam.* Quanquam hodie non tam nouitii id faciunt, quam ii, quibus adhuc consuetudo illa ex Moshemii similibusque olim imitatione adhaeret.

De hoc itaque genere, quod in vitio ponendum est, sermo nobis esse non potest. caret vitio illud, quod hic explicare instituimus, quanquam aequae caret pulchritudine aut grauitate, eoque, vt supra iam diximus, ab illo genere,

genere, quod inter figuras rhetoricas ponitur, differt. Est scilicet genus interrogationum earum, quae e plebei et quotidiani sermonis usu desumptae sunt, aut eum imitantur, ac non nisi variationis consuetudine, quae et ipsa consuetudo eius suauitatem tollit, a simplici et categorica dictione distant. Eas cum vernaculis illis: was war zu thun? was hilft das alles? ac similibus, collegerim, quas sine vlla virtute ac vi in vulgaribus sermunculis adhiberi, ac cum illis: da war nichts zu thun, als etc. das hilft alles nichts, vulgo permutari nouimus. Amittit in his vim suam interrogatio, vt apud poetas apostrophe, seu allocutio absentis, quae sexcenties frustra et metri tantum causa adhibetur. Illud modo interest, vt, quod hic metrum, idem in interrogatione efficiat consuetudo.

Sed harum, age, interrogationum exempla quaedam adferamus. Ita quidem et de usu earum apud veteres constabit, et haud perinde esse, quicquid de iis in singulis locis censeatur, intelligendum erit. Vlysses cum coram Alcino, Phaeacum rege, nauigationis suae narrationem, Odyss. XII. ad ea perduxisset, quae iam pridie commemorauerat, narrandi finem facit, haec addens v. 450.

— — — τι τοι ταδε μυθολογεω;
 Ἢδη γαρ τοι χθις εἰμυθεομην &c.

Quid tibi haec enarro? nam heri iam enarrabam &c. Aut affectum, i. e. taedii quiddam exprimit, aut prorsus friget, ista interrogatio. Sed posterius hoc Homero indignum est, et magis etiam suspicabitur fastidii significationem, qui conferet mox sequentia — — ἐχθρον δε μοι εἰσι, ΑΥΤΙΣ ἀριζηλωσ εἰρημενα μυθολογευσεν. *Odiosum autem mihi est, diligenter iam enarrata iterum exponere.* Enim vero morosus esse illo tempore Vlysses non poterat, tot beneficiis muneribusque ab Alcino et Phaeacibus cumulatus, iisque acceptis laetissimus, cf. 8, 389 seqq. 13, 10 seqq. 13, 40. Nihil amplius quam reditum in patriam desiderat, nauisque, insuper Alcinoi beneficio instructa, in portu eum expectabat. 7, 222 seqq. 8, 30—55. 13, 39. et alibi. Huc ergo potius refero verba ἐχθρον δε μοι εἰσι κ. λ. eaque non verto: *Odiosum mihi est &c.* vt vulgaris interpres, sed *alienum a nauigandi proposito eique adeo inimicum est, iam pluribus enarrata repetere:* quanquam haud negauerim, hoc ipso itineris praetextu Vlysses simul repetitionis eorum, quae iam narrauerat, molestiam defugisse. Nulla igitur hic animi commotio cernitur: ac multo minus eiusmodi quiddam ostendit praecedens illa interrogatio, quae, nisi friget, quod parum, vt dixi, consentaneum videtur, e vulgari sermonis consuetudine ita accipienda erit, vt simplici orationi aequipolleat, nilque sibi velit, nisi hoc: *Sed non ista narrabo, seu non est, quod ea narrem, quae iam heri a me sunt dicta.*

Eidem similes interrogationes permultae sunt aliae, quibus, quatenus interrogant, vis nulla ab oratione simplici diuersa inest. Quarum pleraeque, quoniam in graecis pariter ac latinis scriptoribus, ubi colloquentium vulgari consuetudine sermones referuntur; sunt obuiaae, ex ipso more sermocinandi quotidiano ductae videntur. Huiusmodi sunt v. c. apud Xenophontem Hist. Graec. 4, 1. in Agesilai colloquio cum Cotye, istae, *τι δ' ἔμελλω;* §. 3. et *ἔ τι ἀνδρὶ ἠδίων;* §. 4. quarum illa specie quidem est interrogatio, reuera esse nequit, quoniam Agesilao, forte quid interroganti, responsionis eiusque adfirmantis vice redditur, prorsus vt aiendi vim habent interrogatiunculae apud latinos; *quidni?* sicut et vertit d. l. Leunclavius; et apud Nostrates: *warum das nicht? ia wohl!* quae vt adfirmantes formulae in respondendo promiscue vsurpantur: altera idem prorsus significat, quod categorica enunciatio ista: *ἔ ἔδεν ἀνδρὶ ἠδίων,* lat. *quo nihil marito iucundius esse potest.* Neque aliud quicquam sibi velle potest hoc: *quo quid esse marito iucundius possit?* vt Leunclavius bene, interpretis puta, vertit. Nam semel est consuetudo populariter quavis lingua loquentium, pro categorica dictione vti per saepe interrogationum formulis.

E colloquiis autem, velut e natua sede sua, in alia omnia dicendi genera ratio ea transiit, quod multis ostendere nihil attinet. Satis est vel obiter meminisse has, *ποθεν;* *ποθεν γαρ;* negandi formulas, in Demosthene saepe et alibi obuias, quas Suidas explicat *μηδαμως, nequaquam.* Quibus similis, quanquam adfirmans, formula est *πως γαρ ἔ;* cui nostrae omnino respondent, quanquam interrogans altera, altera adfirmans: *wie anders? nicht anders,* promiscue ac pro synonymis adhiberi solitae. Nec non, quae plurimum verborum sunt interrogationes, eodem passim sensu occurrunt, i. e. interrogandi vim nullam habent, omninoque ad vitae communis et ad plebeii sermonis consuetudinem sunt reuocandae. Huc refero illam apud Dionys. Halic. Archaeol. 2, 71. extr. *τι γαρ δεῖ τα πλεω περὶ αὐτῶν γραφειν;* *quid plura de his scribere opus est?* quae variationis duntaxat causa eo loco posita est, pro iam vsurpatis hisce: *περὶ μὲν τῶν τοσαυτῶν εἰρησθω,* 1, 69. extr. *ἀλλὰ περὶ μὲν τῶν ἀλλῶν* 2, 59. extr. et aliis similibus. Sed ipse iam dixi de formula illa ad loc. supra cit. in Synopsi mea, p. 91. not. r.

Etiam latini interrogationes citra vim consiliumque interrogandi adhibent. Quarum e magna messe, nonnullas modo adferam earum, quae ipsae originis suae e dicendi genere plebeio haud obscura vestigia produnt. Ac nullibi fere, quam in Ciceronis ad Papirium Paetum epistolis (ad Div. lib. IX.) crebriores sunt huiusmodi interrogationes. Sed eadem epistolae, ipso teste Tullio, qui et huius rei causam indicat, plebeio plurimis locis sermone sunt perscriptae. Nam, lib. cit. ep. 21. *Quid, ait, tibi ego in epistolis videor?*
Nonne

Nonne plebeio sermone agere tecum? Hoc *tecum*, ni fallor, in emphasi est, ut fere ep. 17. *scribo enim ad te*, et causam proximam cur ad eum hoc scribendi genere utatur, velut digito monstrat. Remittit enim, credo, illud *tecum* ad verba ep. 15, *te cum video, omnes mihi Granios, omnes Lucilios — videre videor. Moriar, si praeter te quenquam reliquum habeo, in quo possim imaginem antiquae et vernaculae festiuitatis agnoscere.* Ergo ad eum scripsit plebeio sermone, quem a peregrinitate alienum, et moris ac salis antiqui, ut sunt fere de plebe homines, tenacem esse sciebat. Haec prima igitur et proxima fuit causa. Cui alteram remotiorem, eamque in ipsa epistolarum natura sitam, his demum verbis adiungit: *Nec enim semper eodem modo; scil. in epistolis scribendum est. Quid enim simile habet epistola aut iudicio aut concioni? Quin ipsa iudicia non solemus omnia tractare vno modo. Priuatas causas et eas tenues agimus subtilius: capitis aut famae scilicet ornatius: epistolas vero quotidianis verbis texere solemus.* Vel hoc in loco crebras iactat Cicero interrogationes: quanquam has cum instantis et incitatus scribentis affectu quodam prolatas, si quis ad id genus, quod in figura est, referri malit, non magnopere repugnabo. Sed reliquae istae: *Quem tu mihi Popilium, quem Denarium narras? quam tyrotarichi patinam? — Sed quid haec loquimur?* ep. 16. *Non tu homo ritculus es?* &c. ep. 17. *Habuisses non hospitem, sed contubernalem. At quem virum?* semet indicans ep. 20. Mox ibidem: *Verrium et Camillum, qua munditia homines? qua elegantia? — Ain tandem? insanire tibi videris, quod &c? cognouimus Cn. Carbonem et eius fratrem: quid bis improbius?* ep. 21. ac tandem, quae sunt in epistola ad Paetum vltima: *Accubueram hora nona — dices ubi? apud Volumnium Eutrapelum &c. Miraris, tam exbilaratam esse seruitutem nostram? Quid ergo faciam: te consulo, qui philosophum audis. Angar? excruciemne me? quid assequar? deinde quem ad finem? Viuas, inquis, in litteris. An quicquam me aliud agere censes? aut possem viuere, nisi in litteris viuerem?* cet. Omnes hae et plures huiusmodi quaestiunculae, sine affectu vlllo aut vi prolatae, vulgo garrientium, quicquid in solum venit, morem referunt. Cuius et generis sunt ista: *quid? quid quaeris?* quorum alterum illud idem elliptice, quod alterum plene, exprimit, et quibus saepenumero velut transitionibus ad alia, eaque plerumque maiora, latini utuntur: pro quibus Nostri mox, *ia was wollen sie sagen!* mox, *können sie denken? das nicht allein; noch mebr:* et his similia adhibent. Quibus nullam ex interrogatione vim adhaerere, vel inde patet, quod sensum eundem vtrinque, i. e. cum interrogatione et sine ea redditae, proferunt, sicut et *quid multa?* et *ne multa*, omnino sunt synonyma.

Quae haecenus exposita sunt, ea sacri quoque codicis quibusdam locis lucem affundunt. Quod eo minus mirum videri debet, quo magis non vni tantum

tantum linguae aut genti propriam, sed omnium communem eam esse rationem, ex iisdem, quae iam sunt dicta, satis apparet.

Formulas igitur, quibus נִלְמַד in Vetere, et ἔχει (nonne?) in nouo Instrumento praemittitur, interrogantes esse, quis negat? E locis sexcentis duo addo Ps. 44, 22. *Nonne Deus scrutabitur hoc?* et Matth. 5, 46. $\text{ἔχει καὶ οἱ τελῶναι ἕτως ποιεῖσι}$; An vero idem sensus ac vis interrogandi eadem esse potest Ios. 10, 13. vbi citatur *liber recti?* aliisque locis, vbi similis citandi formula, *nonne haec scripta sunt in libro &c.* repetitur 1. Reg. 11, 41. 14, 29. et deinceps saepius, vbi Vulgata scite: *ecce haec scripta sunt in libro &c.* quam et vernacula nostra secuta est. Non enim interrogant hae formulae, sed simpliciter adfirmant, vt iam vidit Guffetius sub lit. 7. Evidentissimum autem locum is praeteriit, qui est Ps. 54, 2. Siphaei veniunt ad Saulum et narrant: *Nonne David latet apud nos?* Hoc qui narrant, quomodo iidem, *annon apud se lateat ille?* interrogare possunt! Quare h. l. nostra vernacula recte: *David hat sich bey uns verborgen.* Interrogationes autem illas ad vulgi Hebraei sermonem refero. Est vulgi autem, et paruulorum loquela, vt formulae *ita est!* aut cuilibet similiter adfirmanti, subinde addant, *nonne?* vel vtramque permutent et ponant promiscue. Sic Nostri: *ist das nicht ein —?* pro *das ist ein &c.* Atque in fremitu eorum, qui Matth. 13, 55. 56. quis fuisset, qui verba fecisset in Synagoga, non ignorabant, sed probe eum norant, vt ipsius populares, cf. v. 54. in horum conuicio illo, cum interrogationum frequentia plebei sermonis consuetudinem statim arguit, tum res ipsa admonet, vt iactatae tot quaestiones ἔχει ἕτος ἔστι — ; $\text{ἔχει ἡ μητὴρ αὐτοῦ —}$; $\text{καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ —}$; $\text{καὶ αἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ ἔχει πασαι —}$; per eandem consuetudinem, non secus sint accipiendae, quam vernaculae nostrae ista: *Das ist ia der, das ist ia kein anderer, als dessen Mutter — und Brüder — und Schwestern, &c.* Quibus velut praemissis, argumentatio tandem, aut, si mauis, quaestio primaria mouetur illa: $\text{ποθεν ἐν τῷ τῶντα πάντα v. 56.}$ quam, vt dixi, reuera primariam esse, apparet e v. 54. extr. Vt aliis verbis eadem repetam, interrogationes, quibus illo loco ἔχει praemittitur, ab iis iactatae, qui probe hominem illum norant, interrogandi vim habere nequeunt, sed pro categorice dictis sunt accipiendae, idque suadente ita cum re ipsa, tum plebei sermonis consuetudine, quam, vt supra ostendi, hebraica loquendi ratio probat. Sic prorsus non interrogant, sed adfirmant simpliciter Talmudici in *Maslichta* s. tractatu *Schabbath* fol. 104. 2. ed. Ven. vbi de filio Satdae (i. e. Mariae, vt hoc nomen explicatur ibid. *Sanhedrin* fol. 67. 1.) narrant: — הֲלוֹא כֵן &c. i. e. *Nonne filius Satdae exportauit magias ex Aegypto per caesuras, quas fecerat in carne sua?* Denique vix dubito, quin adfirmant simpliciter simili modo

1011111

2

modo

modo bis posita illa Pf. 14, 4. et 53, 5. הלווא ידעו &c. sic nempe:
Volentes scientesque omnes illi faciunt iniuriam &c.

Neque hae solum, quibus *nonne* praemittitur, sed et aliae pro aientibus ponuntur interrogationum formulae. Ezech. 22, 2. bis positum **משתמש** *castigabisne, castigabisne*, quid aliud est, idque e vulgari sermone, quam *castiga statim?* vt nostri homines dicunt: *willst du kommen?* pro *komm izt, komm geschwind*. Post verba 1. Reg. 14, 14. *qui extinguant Ieroboami stirpem hodie*, adduntur haec: **ומה גם-עתה**, vbi **מה** profus, vt apud Latinos, *quid?* de quo iam supra dictum est, nihil quam orationem continuat, aut significat *quin et*, vt sensus sit: *ia gleich izt*; quem et Vulgata scite exprimit, vertens: *et in hoc tempore*. Occurrit item, quae specie est quaestio, reuera non est, Gen. 43, 29. — **היה** &c. vbi perbene et Alexandrina **ἄτος ὁ ἀδελφός ὑμῶν κ. λ.** et Vulgata: *iste est frater vester paruulus*. Nos diceremus: *das ist ia &c.* vel etiam, sed eodem plane sensu: *ist das also euer Bruder*, quo alterutro modo accipienda esse verba ista, loci ratio postulat. Plura adferre possem: sed iam sufficiunt ista, ad monendos lectores, vt vbi percontandi, vbi exclamandi et affectus cuiusdam exprimendi, vbi denique simpliciter adfirmandi aut negandi causa, interrogatio sit, attendant ac singulis fere locis videre queant.

Hic tandem in loco ac opportune, credo, meminerim verborum Io. 2, 4. **τι ἐμοὶ καὶ σοὶ, γυναῖ;** De voc. **γυναῖ** dicere non attinet: de quo, quod obiter moneo, conf. *Rosenmülleri S. Rev. Schol. in N. T.* qui laudat Dion. L. 51. vbi Augustus narratur ad Cleopatram dixisse: **θαρσεὶ ὦ γυναῖ, καὶ θυμὸν ἔχε ἀγαθόν.** Habet enim e nostro quidem modo loquendi aliquam duritiem; sed non habuit tum, cum reginas et mulieres ornatissimas mos esset alloqui **γυναῖ**. Et Io. 19, 26. ad matrem iterum verba sunt, *mulier, hic esto tibi in posterum filius*, vbi amantissime exprimi debet. Altera vero asperitas, quae formulae ipsi inesse videtur, de qua hic nobis dicendum est, ita fere tollitur, vt e comparatis cum nostro reliquis locis, 2 Sam. 16, 10. 19, 23. Matth. 8, 29. et parall. Marc. 5, 7. Luc. 8, 28. et diuersis rerum personarumque conditionibus, doceatur, non vnam, sed multiplicem, vim eius formulae esse, ac esse eam posse irascentis, hortantis, rogantis &c. pro sono asperiore vel humaniore, quo proferatur. Recte haecenus. Sed superesse mihi aliquid videtur. De vsu enim formulae eius multiplici decernunt e singulis locorum contextis, vnde et, prouti varie de iis sentiunt, in ea vel latine vel vernacule vertenda variant. De eius vsu autem in genere, eiusque fonte, ratione grammatica, non aequae sunt solliciti. De utroque
quid

quid mihi videatur, expediam. Quod igitur ad usum formulae eius generatim attinet, eam puto esse ex earum numero, de quibus supra exposui, quae cum interrogantes sint, interrogandi vim suam interdum retineant, interdum etiam, idque e vulgi consuetudine, amittant, adeoque modo affectum quemcunque, etiam vehementiorem, exprimant, modo non exprimant. Hinc fit, ut eadem licet in locis 2 Sam. 16, 10. 19, 13. *irascens* sit et *obiurgans*, in reliquis tamen possit esse *admonens* potius et *rogans*. In illis verti debet: *quid mihi molestus es? quid tua ad me?* et similibus; in his: *noli mihi molestus esse*. Sed accedit etiam ratio grammatica, quam usus loquendi ipse, licet non semper, attamen saepissime sequitur. Nam formulae *τι ἐμοί καί σοι* ea haud dubie per se ratio est, ut pariter, *quid tibi mecum? quid mea ad te?* quam, *quid mihi tecum? quid tua ad me?* significet. Hinc et, sublata interrogatione, si reddi potest: *mibi molestus, vel molestus, esse noli*, aequae verti poterit: *tibi molestus esse nolo*; idque propter communem eius formulae, quam modo dixi, rationem, qua modo ad ipsum dicentem, modo ad eum, cui dicitur, proxime ac primario refertur. Et in posteriori hoc sensu, qui loco Io. 2, 4. maxime convenit, tantum abest, ut iusto asperior haec formula videri debeat, ut ne *interdicentis* quidem, quanquam humanissime, sed potius *permittentis* omnino ac *concedentis* consilium animumque explicet. Iam si *abeundi tempus esse* Maria putabat, quod vix dubito cum Bengelio in Gnom. idque verbis *ὄνον ἔχει ἔχουσι* potissimum indicabat, verba illa, quae sequuntur, nihil, quam *dari et esse hanc ei veniam*, ostendunt, ac proinde verti possunt: *nihil te moror, licet per me facere, quid placeat, quid tibi videatur*. Nos diceremus: *ich habe nichts dargegen, es steht bey dir, du kannst es meinerwegen halten, wie du willst*, et his similia.

In anniuersariam autem b. D. Hofmanni memoriam, cuius merito beneficentiam praedicamus, h. l. q. c. Orationem lat. recitabit

FRID. AVG. THIERFELDER, Crandorfienf. Ac. Cand. Iuuenis ut rectis moribus, ita pariter ab ingenio et literarum amore praecipuo, commendandus.

Hunc igitur Nostrum, qui, *non optandum esse, ut plurimi nedum omnes fiant eruditi*, dicendo ostendet, ut Dn. EPHORVS SVMME REVERENDVS, SENATVS CIV. AMPLISSIMVS, SACRORVM MINISTRI MAXIME REVERENDI, COLLEGAE et reliqui literarum FAVTORES AESTVMATISSIMI, beneuole velint audire, humanissime oro et rogo. P. P. d. 21. Ian. clōIōCCLXXXVIII.

Lit. Lat. rec. B 63, 28.